



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Sebastianvs Mart. 20. Ianuarij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

dicuntur lampades templi suapte sponte accensæ,
 & infanti lucem & urbi infantem gratulatæ esse;
 ipsa ABUNDANTIA jam tunc in innocentis feminæ
 patrocinium (adulterij rea agebatur) fuisse facun-
 da. Iam octennem ferunt ab icone pueruli IESV
 MATRIS sinum insidentis pomum aureum, quod
 manu fortè pictum gestabat, petiisse & adeo im-
 petrasse; *αυριδαρον* deinde flores (ab hieme dona-
 tas) eidem attulisse, & ut acciperet persuasisse. Sed
 hucusque cælum cum puellâ lusit, quæ dicam se-
 veriora sunt. Itaque memorant cum Majolo Ab-
 bate matreque Ierosolymam ivisse, & cum cætera
 Christi vestigia, tum illa potissimum venerabun-
 dam exosculatam fuisse, ubi ille pondere Crucis
 fessus obviam MATREM habuit, heu! alteram tunc
 oculis suis crucem, Hic lacrimis diffuere volu-
 ite ABUNDANTIAM; hinc flagris ita in sese savisse,
 ut sicut oculi in fontem, ita sanguis fusus in rivos
 abire videretur. Abhinc Angelo duce in antrum
 Onuphij devenisse, illicque feminam viri vitam
 vixisse. Ad extremum repertam à patre reductam-
 que in patriam, omnem, hoc mortuo, hereditatem
 egenis cessisse; mortuam deinde etiam ipsam pro-
 funere ab Angelis laudatâ cantu fuisse. Ex Ferrar.

*Ad caelestia regna suspires, voluntatem Dei facias;
 imiteris Angelos super terram, adversus tentationes
 pro pietate configas; Et si caelestis militia sacramen-
 ta servaveris, non dubites te in castris triumphali-
 bus Regis æterni victoriâ coronandum. S. Leo s. 2.
 de Nat. Dom.*

S. SEBASTIANVS MART. 20. Ianuarij.

ANno post CHRISTVM natum LXXXVI. supra
 CC. Marcus & Marcellianus Christiani mili-
 tes ad defectionem vehementer à parentibus soli-
 citaban-

citabantur. Enim verò interponere se hìc Tribunus SEBASTIANVS, turpemq; à tam sanctis castris fugam omnibus viribus dissuadere. Dicenti cælum applausit, piùmque oratorem lumine suo ve-
 xit, simul vox insonuit ejuscemodi, *Nunquam non mecum eris.* Ab eo tempore non jam fìdium Æsculapium Romani habuerunt. Ita omnes morbos pellere SEBASTIANVS; ita doctè, dum corpori medicinam faceret, animum quoque morbidorum ad sanam fidem adducere. Inter hos cum jam urbi etiam Præfectus numeraretur, imperio Diocletiani malè sani medicum suum sagittis confodiunt, confossum & prope exanimem negligunt. Sed qui SEBASTIANI manu curare alios voluit, suã SEBASTIANVM non possit? imò verò adest ille incolumis, & sub aspectum tyranni iterum se sistit; mox tamen inter fustuarium fortem animam expirat, corpusque in cloacas abjectum Lucinæ tumulandum committit. *Hac ex Str.* Cæterum ejus cranio hodie Ebersperga Bojorù gloriatur, magnã semper illuc confluentium religione, longè tamen majori recedentium, ubi votorum damnati sunt, lætitiã.

O verè illum degenerem & omnis boni expertem, qui caelestis vita amore non capitur; qui timet hanc perituram perdere, ut illam possit accipere, quia perire penitus non novit. Ex Orat. S. Sebast.

S. NEOPHYTVS M. 20. Januarij.

ITa est, uti sua adolescentem etiam urticam acrimonia loquitur, ita suus nobilissimũ quemque flosculum, cum primùm exoritur, odor terris cæloque prodit. Ita quem tibi pinximus, NEOPHYTVS Niczã Bithyniæ oriundus jam inde à puero